

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2021-2022  
Devoir sur table : lundi 10 janvier, 8h-12h

### **Version latine n°8 : l'âne d'Alexandre et le cheval de Darius**

*L'auteur évoque plusieurs exemples historiques où l'habileté et l'astuce, dans les paroles ou les actes, ont joué un rôle déterminant.*

Cum Alexander Macedonum rex sorte monitus ut eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet, asinarium forte ante omnis obviam factum ad mortem abripi imperasset, eoque quaerente quidnam se immerentem capitali supplicio innocentemque addiceret, cum ad excusandum factum suum oraculi praeceptum retulisset, asinarius, « Si ita est » inquit, « rex, alium sors huic morti destinavit : nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit ». Delectatus Alexander et illius tam callido dicto et quod ipse ab errore reuocatus erat, occasionem in aliquanto utiliore animali expiandae religionis rapuit. Summa in hoc mansuetudo, in alterius regis equisone calliditas.

Sordida magorum dominatione oppressa, Darius sex adiutoribus eiusdem dignitatis adsumptis pactum cum praeclari operis consortibus fecit ut equis insidentes solis ortu cursum in quendam locum dirigerent, isque regno potiretur, cuius equus in eo primus hinnisset. Ceterum maximae mercedis competitoribus fortunae beneficium expectantibus solus acumine equisonis sui Oebaris prosperum exoptatae rei effectum adsecutus est, qui in equae genitalem partem demissam manum, cum ad eum locum ventum esset, naribus equi admovit. Quo odore irritatus ante omnes hinnitum edidit, auditoque eo sex reliqui summae potestatis candidati continuo equis delapsi, ut est mos Persarum, humi prostratis corporibus Darium regem salutauerunt. Quantum imperium quam paruo interceptum est uaframento !

Valère Maxime